

arguo: Ecclesie fides est, martyribus totam culpam, & poenam remitti, juxta illud Innoc. III. jam laudatum: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre*; atqui id non obtinet neque vi charitatis, neque vi poenae: ergo vi operis. Non vi charitatis; quia incertum est, an Martyr talem charitatis actum eliciat, ut adaequet totam poenam peccatis multiplicatis, & enormibus debitam, & potest contingere, ut ait S. B. quod in viris sanctis intensior reperitur charitas, quam in Martyribus, quae tamen non sufficit toti poenae delenda. Nec obstant verba Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, &c.* ut patet ex solut. argum. Non vi poenae, quam patitur Martyr; quia quandoque est poena levis longe inferior poena, quae debetur innumeris, & gravissimis sceleribus: ergo.

3. Hic art. 12. seq. dicit, quod Passio Christi operatur in Baptismo flammis per quamdam affectionem, in Baptismo vero sanguinis per imitationem; atqui, si Baptismus sanguinis non justificaret ex opere operato, sed ex opere operantis tantum, non aliter operatur, quam per piam affectionem: ergo. Conf. ista ratio: Baptismus sanguinis non est Baptismus flammis; juxta enim SS. Patres, & omnes Theologos sunt tria Baptismata inter se distincta; atqui, si Baptismus sanguinis Martyres justificat ex opere operantis tantum, scilicet, merito contritionis, & charitatis, erit Baptismus flammis: ergo. Vide iterum S. Thom. 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1.

Ex his inferes, contritionem charitate perfectam non esse dispositionem necessariam requisitam ad martyrium; sed sufficere attritionem, qualis requiritur ad Baptismum, & Poenitentiam, sicutque accedentem ad martyrium ex arto fieri contritum. Vide loco cit. de Fortitudine.

#### Solvuntur objectiones.

**Obj. 1.** Martyrium est actus perfectissimae charitatis, juxta illud Christi Joann. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*: ergo ex opere operantis justificat. R. N. Ant. nisi intelligatur de actu charitatis, non formaliter, sed objective, ut jam dictum est, & iterum mox dicetur. Quantum ad verba Christi, non est illorum sensus, quod ipsa mortis permissio pro Christo semper necessariam involvat charitatem, ut patet ex illo 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: Neque quod charitas sit semper major in Martyre, quam in alio; constat enim, B. Virginem omnes Martyres in charitate superasse. Sed sensus est, quod inter humanum actum nullus est, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam Martyrio; quasi diceret: majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide hanc solutionem fusiuse explicatam loco cit. de Fortitudine arg. 3. contra 6. Concl.

**Inst. 1.** Ex ipso textu laudato Apostoli: *Si tradidero corpus meum, &c.* ergo Martyrium saltem salutare, de quo agitur, supponit charitatem, quae opere operantis justificat. R. N. Cons. Hec enim Apostoli verba non sunt necessario intelligenda de charitate habituali praecedente Martyrium, qua homo constituitur amicus, & filius Dei; sed de charitate, vel habituali, vel actuali, hoc est, sincero Dei amore benevolens, qui dicitur late charitas, qualis esse solet in Catechumenis, & poenitentibus: hanc est enim dispositio necessaria ad Martyrium, ut dixi loco cit. de Fortit. qui autem cum hac dispositione amoris benevolens accedit ad Martyrium, habet in termino charitatem habitualem cum gratia justificante, quam producit Martyrium ex opere operato.

**Inst. 2.** S. Thom. hic art. seq. 12. ad 2. dicit: *Effusio sanguinis non habet rationem Baptismi, si sit sine charitate. Ex quo patet, quod Baptismus sanguinis includit Baptismum flammis, & non e converso*; atqui Baptismus flammis importat charitatem perfectam: ergo. R. eadem solutione, quod Baptismus sanguinis non est sine charitate praecedente actuali, qui sit amor Dei benevolens, & in termino non est sine charitate habituali comitante, ideoque includit Baptismum flammis.

**Inst. 3.** S. Thom. hic art. 11. o. dicit, quod Martyrium causat gratiam per potentissimum charitatis fervorem: ergo. R. S. Thom. intelligendum esse de fervore, seu actu charitatis non formaliter, & per modum actus interni, sed materialiter, & objective, eo modo quo fuit in parvulis pro Christo occisis.

**Inst. 4.** S. Bern. Ep. 77. ad Hug. Vict. paulo ante medium, dicit: *Cum non aliunde Martyrium nisi ex fidei merito illam obtineretur prerogativam, ut singulariter vice Baptismi securi suscipiatur, non video cur non ipsa aqua, & sine Martyrio apud Deum tantumdem possit*: ergo juxta Bernardum Marty-

rium ex opere operantis, scilicet, merito fidei, sicut Baptismus flammis justificat. R. N. Conseq. Intendit enim Bernardus ibi probare, Baptismum flammis, seu fidem per dilectionem operantem, supplere vices Baptismi aquae; ad quod probandum dicit, quod Martyrium habet a fide, scilicet, tanquam a dispositione necessaria, quod supplet vices Baptismi aquae; Nam absque ipsa, inquit, quid est Martyrium nisi panis? Ex quo inferit, quod ipsa, si tamen sit formata, sola sine Martyrio possit supplere vices Baptismi aquae. Unde ex hoc textu S. Bernardi sequitur, quod fides sit dispositio necessaria ad Martyrium; at non quod in Martyrio conferatur gratia vi, & merito illius fidei, & non vi operis.

**Obj. 2.** Quilibet homo tenetur in articulo mortis elicere actum charitatis perfectae; hac autem charitate justificabitur, antequam subeat Martyrium: ergo. R. 1. juxta quosdam, quod, quamvis praecipuum charitatis secundum se obliget in articulo mortis, per accidens tamen, & in hoc casu particulari Martyrii non obliget, quia, sicut Martyrium propter opus externum praestantissimae charitatis supplet Baptismum aquae, ita & actum perfectae contritionis. R. 2. secundum alios, quod, quamvis per se loquendo, & attenda Martyrii natura, peccator adultus non tenetur ad actum perfectae contritionis, sed sufficit attritio, attamen attendo articulo mortis, in quo maxime urget praecipuum charitatis, tenetur in quantum potest elicere actum contritionis perfectae, saltem existimat talem, qui si reipsa non sit, nihilominus justificabitur per Martyrium. Et haec sententia est nobis probabilior, atque tutior, & in praxi tenenda. Similitas existimamus, ipsum teneri baptizari, si non sit baptizatus, & baptizatus confiteri, si utriusque facultas adsit; quia non constat, quod Martyrium a praecipuis communibus eximat, dum possunt adimpleri.

**Obj. 3.** Non potest assignari tempus, in quo Martyrium conferat gratiam ex opere operato: non instans mortis; quia cum res permanentes, dum corrumpuntur ad generationem alterius, secundum Philosophum desinant per primum sui non esse, tunc homo non est amplius: non ante illud instans, quia tunc nondum est Martyrium, utpote consistens in morte; & aliunde posset tunc homo adhuc peccare, & amittere gratiam Martyrii; sique non constaret, Martyres esse salvos: ergo. R. Martyrium gratiam conferre in illo agonis Christiani instanti, in quo etsi nondum physicè adsit mors, ob tamen inevitabilem mortis impendentis necessitatem eurus vitae, & Martyrium censetur moraliter consummata: in quo instanti, vel homo sic est viribus, & sensibus destitutus, ut amplius peccare non possit, vel a Deo sic regitur, ut non peccet. Hoc autem instans licet a nobis designari non possit, sufficit, quod Deo sit notum.

Sed quid, si in illo instanti, aut post illud, miraculose sanaretur; essetne Martyr? R. Idem posse inquiri, si Deus ipsum jam mortuum resuscitaret. Dicendum itaque, fore in hoc casu verum Martyrem, modo tamen non peccaret mortaliter. An autem esset in gratia confirmatus? quidam asserunt ut congruum divinae providentiae: sed cum id non sit ullibi revelatum, incertum est.

**Inst. Si Martyrium causet gratiam ex opere operato, erit Sacramentum.** R. N. Sequelam. 1. Quia non est caeremonia sacra a Deo instituta, qua ordinariè uti debeant homines ad gratiam consequendam. 2. Quia non constat rebus, & verbis. 3. Quia non est signum, vi sua activè causans gratiam; quae omnia requiruntur ad Sacramenta novae Legis.

Petes, utrum Baptismus Sanguinis sit potissimum inter alia Baptismata? R. Hic art. 12. o. esse potissimum ratione effectus, scilicet gratiae, quem in eo operatur passio Christi. Etenim in Baptismo aquae passio Christi operatur per quamdam figuralem representationem; in Baptismo sanguinis per imitationem realem operis. (In 4. d. 4. q. 3. art. 2. q. 4.) Insuper gratia in Baptismo Sanguinis magis quam in Baptismo aquae augetur habenti, & amplius datur non habenti, si impedimentum non adsit: & remissio peccatorum, quamvis non sit plenior, quia uterque omnem poenam, & culpam tollit, tamen est in Baptismo sanguinis efficacior, & fructuosior; quia secundis maculis non inquinatur, ut dicunt Damasc. & Greg. Naz. Orat. 39. in sancta lumina.

Dixi: *ratione effectus, scilicet, gratiae*; quia Baptismus aquae praestat 1. in ratione Sacramenti; Martyrium enim, ut dictum, non est Sacramentum. 2. In modo cansandi; quia Baptismus aquae causat ex opere operato activè physicè; Martyrium autem passivè tantum, & moraliter. 3. Baptismus aquae imprimi characterem, non Martyrium. Omittimus Art. 10. S. Thom. de ritibus Baptismi, quia redibit infra.

## DISSERTATIO II. DE MINISTRO BAPTISMI.

**D**uplex distinguitur Minister Baptismi, unus solemnitatis, alter necessitatis. Minister solemnitatis est, qui cum caeremoniis in Ecclesia adhiberi solitis baptizat: Minister necessitatis est, qui his caeremoniis est omissis in necessitate baptizat. Minister extraordinarius, & ex delegatione.

Mulierium facultatem baptizandi solemniter concessisse Marcionistas, Papianos, & Collyridanos, testatur Epiphanius. Haeres. 42. & 79. quorum petulantiam redarguit Tert. l. de Praescript. c. 4. & l. de Bapt. c. 7. & Conc. Carthag. 4. Can. 100.

Contra Calvinus l. 4. Instit. c. 15. §. 20. & seq. Et dicitur multis quidem ab hinc saeculis, adeoque ab ipso fere Ecclesiae exordio, usu receptum, ut in periculo mortis Laici baptizarent: sed negat id posse sustineri. Utrum censuerit, Baptismum a Laicis collatum esse irritum, aut tantum illicitum, non constat: & ideo ejus sectatores in hoc sunt divisi. Eandem errorem tribuit quibusdam Graecis recentioribus Arcadius l. 1. de Bapt. Inter veteres, qui censebant, nullum esse Baptismum collatum ab Haereticis, verisimile est eos idem censuisse de Baptismo collato a Laicis non baptizatis; quia pro utriusque curtebat palmare eorum principium: *Nemo dat, quod non habet.*

### ARTICULUS I.

#### Quis sit Minister solemnitatis in Baptismo?

**D**ico (Hic q. 67. art. 1. & 2. o.) Omnis, & solus Sacerdos vi suae ordinationis est ordinarius Minister solemnitatis in Baptismo: Diaconus vero est tantum Minister extraordinarius, & ex delegatione Episcopi, vel Presbyteri.

**Prob. 1.** Ab auctoritate l. 3. Constit. Apost. c. 11. Clemens Papa sic loquitur: *Nec reliquis clericis potestatem baptizandi factum, ut Lectoribus, Cantoribus, Janitoribus, aut Ministris, nisi tantum Episcopis, & Presbyteris, ministrantibus Diaconis Gelasius in Ep. ad Episcopos per Lucianum, refertur dist. 93. Cap. Diaconus 9. dicit: Diaconus propriam constitutum observare mensuram. Et infra: Absque Episcopo, vel Presbytero baptizare non audeat, nisi praedictis ordinibus fortasse longius constitutus, necessitas extrema compellat. Dist. 25. Cap. Perlectis. Ad Diaconum pertinet assistere Sacerdotibus, & ministrare in omnibus, quae aguntur, Sacramentis Christi, in Baptismo, in Chrismate, Patena, & Calice. Cap. Constat de Consecrat. dist. Constat baptisma solis Sacerdotibus esse tradendum, ejusque ministerium nec ipsis Diaconis expleat licitum, nisi his praesentibus ultima languoris necessitas cogat. Concil. Florent. in Decreto unionis: Minister hujus Sacramenti est Sacerdos, cui ex officio competit baptizare. Item Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 18.*

**Prob. 2.** (Ibid. art. 2.) ratione. Ad Sacerdotem pertinet Eucharistiam conficere: Eucharistia autem est Sacramentum unitatis, & pacis, juxta illud 1. Cor. 10. *Unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus*; atqui per Baptismum homo fit particeps Ecclesiae unitatis, accipitque jus ad mensam Domini: ergo, sicut pertinet ad Sacerdotem ex officio Eucharistiam consecrare, proprium ejus officium est baptizare, quia ejusdem est causae totum facere, & partes ad ipsum totum ordinare.

**Conf.** Si soli cooptare possunt Fideles in Ecclesiam, seu in corpus Christi mysticum, quod fit per Baptismum, qui habent potestatem in illud; atqui soli Sacerdotes, & non Diaconi habent potestatem in corpus Christi mysticum derivat ex potestate in corpus ejus naturale; atqui soli Sacerdotes, & non Diaconi, habent potestatem in corpus ejus naturale: ergo. (Ibid. art. 1. o.) Adde, quod vox Graeca Diaconus idem sit ac Latine Minister. Unde Dist. 93. c. 17. dicitur ex Conc. Carthag. 4. *Diaconi ita se Presbyteri, sicut Episcopi, ministros esse cognoscant.*

Quod autem Diaconi possint ex delegatione Episcopi, vel Sacerdotis baptizare solemniter, patet 1. Ex Juribus cit. C. Diaconus & C. Constat. Ex Tertull. de Bapt. c. 17. & S. Hieron. adv. Lucifer. qui expresse id asserunt. 3. Exemplo S. Philippi Diaconi, qui baptizavit Simonem Magum Act. 8. & Eunuchum Candacis Reginae ibid. 4. Ex Ordine Romano, juxta quem Episcopus Diaconis, dum ordinantur, dicit: *Cogitate magnopere ad quantum gradum Ecclesia ascendit: Diaconum*

enim oportet ministrare ad altare, baptizare, & predicare. Quod sic intelligitur, ut Diaconus vi ordinationis suae habeat, quod possit delegari ad baptizandum solemniter, & sic delegatus agat ex officio.

Dixi in conclusione: *vi ordinationis*, seu Jure divino; quia Jure Ecclesiastico effectum est, 1. Ut prioribus Ecclesiae saeculis, praesertim cum his tantum in anno baptismus solemniter conferretur, Episcopi sibi reservarent munus baptizandi, ut constat ex Tertull. & Hieron. citatis; ita ut tunc Sacerdotes non possent licite baptizare sine licentia Episcopi: & non, tum ob majorem ordinis Episcopalis commendationem; tum ob celebritatem Festivitatibus Paschae, & Pentecostes, quibus diebus tantum solebat Baptismus solemniter administrari; tum etiam quia tunc non erant Baptisteria nisi in Cathedralibus, & majoribus Ecclesiis. Et hinc praerogantur inst. n. tunc quorundam, qui volunt Episcopos primo loco, Presbyteros autem secundo loco tantum, & ex licentia Episcopi esse ministros ordinarios Baptismi. Id quidem verum fuit Jure Ecclesiastico pro tunc, non autem Jure divino, & vi Ordinis, ut patet ex probationibus conclusionis, praesertim ex Constit. Apost. Conc. Flor. & Catech. Rom. Item ex Innocent. I. Ep. ad Decentium c. 5. Tom. 2. Conc. ubi de Presbyteris dicit: *Sive extra Episcopum, seu praesente Episcopo baptizant*. Imò ipse Paulus 1. Cor. 1. dicebat: *Non me misit Christus baptizare, sed evangelizare*. Et nunc vix reperiantur Episcopi qui baptizent, sed soli Sacerdotes, nulla requisita licentia, hoc munus obeunt.

2. Jure Ecclesiastico sancitum est, ut, quamvis omnis Sacerdos vi sui Ordinis habeat potestatem baptizandi, ea tamen suspensa maneret, nec posset ea licite uti, etiamsi privatim extra casum necessitatis, nisi haberet jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ita colligitur ex cap. *Interdiximus* causa 16. q. 1. Ex Rit. Rom. ubi legitur, Baptismi ministerium esse Parochum, vel alium Sacerdotem, a Parocho, vel ab Ordinario loci delegatum; & ex communi praxi Ecclesiae. Neque tamen sequitur, quod Baptismus, ab alio, quam a Parocho, collatus, sit irritus, sicut absolutio collata sine jurisdictione est irrita; non enim haec jurisdictio requiritur ad validè, sed ad licite baptizandum; neque baptizare est actus jurisdictionis in subditum, sicut absolutio; sed est actus habentis jurisdictionem ad licite agendum quod agit, ut acutè observat Sylvius.

Hinc inferes, graviter peccare Sacerdotem, qui extra casum necessitatis baptizat sive solemniter, sive privatim infantem absque licentia proprii Parochi; quia violat praecipuum Ecclesiae, & usurpat jus alterius. Quapropter nec Parentibus licet suos infantes baptizandos alieno Parocho offerre. Nulla tamen legitur in Jure irregularitas statuta in Sacerdotes sic baptizantes. Sects de Diaconis, ut mox dicam.

Dices: Per Baptismum annumeratur quis populo Christiano, ut dictum est, quod quidem videtur ad solius Principis officium pertinere; atqui principatum tenent in Ecclesia Episcopi: ergo. R. (Ibid. ad 2.) Quod in qualibet Republica, ea, quae sunt minora, pertinent ad minores Officiales, majora vero majoribus reservantur. Unde ad minores Civitates Principes pertinent dispendere de minore populo, & ad summos principes pertinet dispendere ea, quae pertinent ad majores Civitates. Per Baptismum autem non adipiscitur aliquis nisi infimum gradum in Populo Christiano, & ideo pertinet ad minores Principes Ecclesiae, id est, ad Presbyteros, qui tenent locum 70. Discipulorum.

Petes 1. Utrum etiam Subdiaconi, vel inferiores Clerici possint delegari saltem a Papa ad baptizandum solemniter? R. Id nunquam factum legitur. Sed esto, summ. Pontificem posse dispendere cum Subdiacono, ut adhiberet solemnitates solitas, id enim implicare non videtur, cum sint ex institutione Ecclesiae; non posset tamen dici simpliciter baptizare solemniter, quia tot solemniter significat etiam baptizare ex officio; & in hoc differret Subdiaconus a Diacono delegato, qui supposita delegatione baptizat ex officio, quatenus habet vi sui ordinis, ut possit ad hoc delegari, sicut dictum est.

Petes 2. Utrum Diaconus sine commissione Episcopi, aut Sacerdotis baptizans in extrema necessitate possit baptizare solemniter? R. probabiliter affirmative: quia plus videtur illi a Jure concedi, quam Laicis, qui possunt in necessitate baptizare sine solemnitate; aliunde commissio facta a Jure potest censeri tacita commissio Episcopi. Et ita significat Glossa in Canon cit. Diaconus, dicens, quod ubi necessitas existit, & Pres-

byter est absens, potest Diaconus jure suo baptizare. Hæ enim particula jure suo respiciunt solemnitatem Baptismi, ad quam Diaconus vi ordinis sui potest delegari.

Petes 3. Utrum Diaconus possit sine necessitate delegari ad baptizandum solemniter? R. negativè: quia vi sui ordinis non habet jus ordinarium sic baptizandi, sed tantum extraordinarium, idèque in necessitate tantum usurpandum ex commissione. Secus dicendum de Sacerdote non habente jurisdictionem; cum enim ille vi sui ordinis habeat jus ordinarium baptizandi solemniter, & tantum usus juris prohibeatur, quando deest consensus Parochi; eo consensu accedente, potest in quocumque casu sine causa baptizare. Porro necessitas committendi Diaconum non videtur debere esse extrema, sed sufficit rationabilis, puta, notabilis utilitas Ecclesie, vel proximi.

Petes 4. Utrum Diaconus, extra necessitatem baptizans solemniter sine commissione Episcopi, vel Sacerdotis, incurrat irregularitatem? R. cum communi sententia affirmativè, ex Cap. Si quis r. Extra l. 2. tit. 28 ubi sic legitur: Si quis baptizaverit, aut aliquid divinum officium exercuerit, non ordinatus, propter temeritatem de Ecclesia abiciatur, & nunquam ordinetur. Atqui Diaconus vi suæ ordinationis non habet, quod possit jure ordinario baptizare solemniter, sed tantum quod possit ad id delegari in necessitate. Idem a fortiori dicendum de Subdiacono, & inferioribus Clericis; imò & probabilis saltem de Laicis, qui solemniter baptizant: quia, quamvis titulus Canonis sit de Clerico non ordinato, ipsa tamen Decretalis est generalis, tam Laicum, quam Clericum comprehendens; dicit enim: Si quis non ordinatus: est autem præferenda titulo, qui a quo sit adjectus, ignoratur. Adde, in antiquis Codicibus haberi pro titulo, De non ordinato ministrante, ut fert notatio Gregoriana, Dixi: baptizans solemniter; quia, cum Baptismus privatus non sit actus Ordinis, non subicitur præsentis Decretalis irregularitati.

ARTICULUS II.

Quis sit Minister necessitatis in Baptismo?

Deo: Quilibet homo ratione utens, sive vir, sive mulier, sive Catholicus, sive Hæreticus, sive Fidelis, sive Infidelis, adhibitis essentialibus, materia, forma, & intentione, semper valide baptizat; & in necessitate licitè. Hæc Conclusio præcipua ex parte probata manet ex his, quæ sat prolixè deduximus de Sacramentis in genere, tum Diss. 5. art. 3. ubi probavimus per Ministros malos, Hæreticos, & Infideles, Sacramenta valide administrari, tum in Digress. Historica de dissidio inter Stephanum Papam, & rebaptizantes in calce ejusdem Diss. His hic suppositis, & a studioso Lectore relegendis,

Prob. 1. pars Tertull. l. de Bapt. c. 27. Baptismus, inquit, aequè Dei census ab omnibus exerceri potest. Aug. l. 7. de Bapt. c. 57. Non dubitarem, inquit, habere eos Baptismum, qui ubicumque, & a quibuscumque illum verbis Evangelicis consecratum, sine sua simulatione, & cum aliqua fide suscepissent. Conc. Lat. 4. cap. Firmiter definit, Sacramentum Baptismi a quocumque ritè collatum proficere ad salutem. Cap. Romanus de Conv. dist. 4. dicitur ex Isidoro: Romanus Pontifex non hominem judicat, qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam Baptismi, licet Paganus qui baptizat. Nicolaus I. in Rescripto ad consulta Bulgarorum c. 104. relatus eadem dist. cap. A quodam dicit: A quodam Judeo, necitis utrum Christiano, an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid de istis sit agendum, consultis. Hi profecto, si in nomine sanctæ Trinitatis baptizati fuerint, constat eos non esse baptizandos. In causa Cypriani, & aliorum rebaptizantium Ecclesia pluries definit, baptismum collatum ab Hæreticis esse validum, illudque iterari prohibuit. Vide locis cit. de Sacramentis in genere. His adde, baptismum fuisse validè collatum ab Apostolis, dum erant adhuc Laici, a Juda apostata, ab Anania, ut constat ex Scriptura. Item a puero Athanasio, & ab aliis pueris, ut vidimus eadem Diss. de Sacram. in genere art. 6. §. 1.

Ratio a priori est voluntas Christi instituentis, quæ ex traditione, praxi, & definitionibus Ecclesie nobis innotescit. Insuper (Hic q. 64. art. 5.), ut arguebamus loco cit. contra Rebaptizantes, Minister Baptismi operatur ut instrumentum; atqui instrumentum non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem principalis agentis, a quo movetur; & idèò accidentarium est instrumentum qualemcumque formam habeat, præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti; sicut per accidens est, quòd corpus medici, quod est instrumentum animæ habentis artem, sit sanum, vel infirmum; ergo, quicumque sit Minister Baptismi, modò essentialia adhibeat, validè baptizat. Item, Baptismus a quocumque collatus in necessitate est licitus, ut mox dicam, consequenter validus: ergo etiam extra necessitatem est validus. Patet circa

Quia necessitas rerum essentialis, nec potestatem ministerialem mutat, nisi forte ubi requiritur jurisdictio in subditum, sicut in Sacramento Penitentia, qualis non requiritur in Baptismo.

Prob. 2. pars Conclusionis. Conc. Illiberitanum Can. 38 approbat Baptismum a Fidei Laico collatum in extrema necessitate. Aug. l. 2. contra Epist. Parmen. c. 13. Etsi Laicus, inquit, Baptismum pereuntis dederit necessitate compulsus, nescio an quòd quisquam dixerit, repetendum esse. Nulla etenim cogente necessitate si fiat, alieni muneris usurpatio est. Si autem necessitas urgeat, aut nullum, aut veniale delictum est. Sed etsi nulla usurpetur necessitate, & a quolibet cultibet detur, quod datum fuerit, non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum. Quibus verbis Aug. utramque partem Conclusionis asserit. Urbanus Papa II. in Ep. ad Vitalem Cap. Super quibus causa 30. q. 4. ait: Super quibus consulit nos tua dilectio, hoc videtur nobis ex sententia respondendum, ut & Baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit. Conc. Flor. in Decreto unionis: In causa necessitatis, inquit, non solum Sacerdos, & Diaconus, sed etiam Laicus, vel Mulier, imò etiam Paganus, & Hæreticus baptizare potest, dummodò formam Ecclesie servet, & facere intendat, quod facit Ecclesia.

Ratio congrua (Hic q. 67. art. 7.) voluntatis Christi, sic instituentis, est maxima hujus Sacramenti necessitas, sine quo nec pueri salvari possunt, nec adulti consequi regulariter remissionem totius peccati. Ad misericordiam enim Dei, qui vult omnes homines salvos fieri, pertinet, ut in his, quæ sunt de necessitate salutis, homo de facili remedium inveniat: ergo, sicut institutum est, ut materia Baptismi sit communis, scilicet aqua, quæ facilè a quolibet haberi potest, ita & Minister sit quilibet homo.

Totam hanc hujus, & præcedentis Articuli doctrinam luculentè exponit, & asserit Cathæc. Rom. p. 2. n. 18. Legatur.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. cum Calvinò contra Baptismum collatum a Laicis. Nullibi legitur in Scripturis, Laicos baptizasse: ergo. R. 1. N. Ant. Legimus enim Joann. 3. Apostolos post institutum Baptismum, dum erant adhuc Laici, baptizasse. 2. Data Ant. N. Cons. Deficiente enim Scriptura, sufficit nobis Traditio. Sic non legitur in Scriptura, infantes esse baptizandos, & tamèn admittunt Calvinistæ eos esse baptizandos.

Inst. 1. Christus Matth. ult. solis Apostolis dixit: Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos: ergo eos solos, & eorum Successores constituit Baptismi sicut verbi Ministros. R. 1. Christum loco cit. non instituisse Ministros necessarios Baptismi, sed, iis jam institutis, antequàm essent Sacerdotes, præceptum dedisse prædicandi, & baptizandi. 2. D. Cons. Eos solos instituit Ministros solemnitatis Baptismi, & verbi, C. ministros necessitatis, N. Sicut enim Laicus, imò & mulier potest privatim docere, ita & privatim baptizare.

Inst. 2. Auctor Constit. Apost. l. 3. c. 10. sic habet: Sed neque Laicos concedimus aliquod sacerdotale munus exercere, veluti Sacrificium, Baptismum, manuum impositionem: Ergo R. S. Clementem loqui de Baptismo solemniter, & extra necessitatem: perstringit enim ibi Laicos, qui exemplo Corè, & Osie munia sacerdotalia temerè usurpabant.

Inst. 3. Majus est baptizare, quàm solemnitates Baptismi adhibere; atqui ex dictis Laici non possunt solemnitates Baptismi adhibere: ergo nec baptizare. R. D. Maj. Majus est & similè magis necessarium baptizare, quàm solemnitates adhibere. C. & non magis necessarium, N. Undè, concessa Min. N. Cons. Admittuntur enim Laici ad Baptismum privatum ministrandum, non propter majorem, aut minorem ejus dignitatem, sed propter ejus necessitatem.

Inst. 4. S. Basilus in Ep. ad Amphil. c. 1. reprobans Baptisma Hæreticorum, dicit, ab his baptizatos esse rebaptizandos veluti a Laicis baptizatos: ergo supponebat, nullum esse baptismum a Laicis collatum. R. Basilium circa utrumque Baptisma cum aliis rebaptizantibus errasse, quorum errorem Ecclesia præscripsit.

Inst. 5. Ecclesia quidè prohibuit, baptizatos ab Hæreticis rebaptizari, sed non baptizatos a Laicis. Neque enim legitur tunc fuisse disputatum inter rebaptizantes, & Stephanum de Baptismo Laicorum, quamvis illud rebaptizantes pro principio assumerent. Arguebat enim sic: baptizati a Laicis sunt rebaptizandi; atqui baptizati ab Hæreticis sunt baptizati a Laicis: ergo baptizati ab Hæreticis sunt rebaptizandi; majorem, inquam, propositionem hujus argumenti non videtur in disputationem venisse, nec a Stephano, & aliis orthodoxis negatam: ergo. R. equidè ex professo non fuisse tunc disputatum de Baptismo Laicorum, quia tota disputatio forebat circa

Baptismum Hæreticorum. Attamèn Ecclesia, reprobandò opinionem rebaptizantium, ejus simul fundamentum reprobovit, quod & apertius postea præstavit.

Inst. 6. S. Hieron. in Dialogo adversus Luciferianos hoc principium, Baptismus collatus a Laicis est nullus, supponit ut veram: ergo. Prob. Ant. Ex hoc principio probat contra Luciferianos, qui Episcopos Arianos reputabant Laicos, eos vel debere rejicere Baptisma Ariatorum, quod admittebant, vel admittere eorum ordinationes, quas rejiciebant. R. N. Ant. Ad Prob. dico, Hieronymum non ex propria, sed adversariorum sententia argumentari ad hominem, quasi dixisset: vos rejicitis Baptisma Laicorum, & admittitis Baptisma Ariatorum: ergo Sacerdotes Ariani secundum vos non sunt Laici: ergo vel eorum ordinationem admittere debetis, aut eorum Baptisma rejicere.

Inst. 7. Ex historia Ecclesiastica. Clericus Edissenus ep. ad Photium, quæ extat in Actis Conc. Chalced. Act. 10. rogat, ut, imminente festivitate Paschali, remittatur Episcopus Ibas propter Catechismos, & propter eos, qui digni sunt sancto Baptismate. S. Greg. Ep. 32. nunc. 33. l. 1. ad Romanum Italice Exarchum, ipsum hortatur, ne detineat in Civitate Ravennate Blandum Episcopum Hortensem, quia eo absente populus quasi grex sine Pastore diffuit, & infantes sine Baptismo moriuntur; atqui, si possint baptizare Laici, ut quid urgere præsentiam Episcoporum? ergo. R. hoc argumento probari, nequidm Sacerdotes posse baptizari etiam ex commissione Episcopi; pariter enim substatum: Atqui, si possint baptizare Sacerdotes saltem ex licentia Episcopi, ut quid urgere præsentiam Episcoporum? Dicendum itaque, requiri, & exoptari præsentiam Episcoporum in suis Ecclesiis, non idèò præciipi, quia nulli erant præter ipsos; qui privatim saltem possent baptizare; sed quia 1. Episcopi tunc temporis sibi reservaverant munus baptizandi solemniter in festivitate Pasche, & Pentecostes, ut diximus. 2. Quia, iis absentibus, negligebantur Catechismi, & morum correptione: populus, quasi grex sine pastore, errori, ignorantia, viris indulgebatur; & Parentes filiorum infantium sanitati confidentes eorum Baptisma differebant; unde plures sine Baptismo moriebantur.

Obj. 2. Contra Baptismum a non baptizatis collatum. Conc. Illiberitanum videtur decernere, quòd, qui non est baptizatus, itèm qui est bigamus, non possit baptizare: ergo. R. sensum Concilii esse, quòd, ubi sunt plures, inter quos reperitur baptizatus, aut non bigami, ii prius assumendi sunt ad baptizandum, quàm non baptizatus, aut bigamus.

Inst. 1. Cap. Si quis r. q. r. ex Isidoro decernitur, baptizatos a non baptizato debere denuò baptizari. Idem definit Greg. III. in Ep. ad Bonif. relata de cons. dist. 4. Cap. Quos a Paganis: ergo. R. ad primum, hæc verba non esse Isidori, & mendum irrepisse in textu Gratiani, siquidem contrarium ibidem expressè definitur, additur enim, sed Romanus Pontifex, &c. ut retulimus in probationibus conclusionis. Sed esto id dixerit Isidorus, ad ipsum respondemus, sicut ad Gregorium, ipsos loqui de Paganis, qui non servent formam evangelicam.

Inst. 2. Ex Patribus, in primis ex Tertull. qui l. de Bapt. c. 17. probat, Licium non posse baptizare, quia, inquit, quod ex aquo accipitur, ex aquo dari potest: quæ verba etiam exseribit Hieron. adv. Lucifer. ergo supponit, quòd, qui Baptismum non accepit, illum dare non possit. R. N. Cons. Sensus enim istorum verborum, quod ex aquo, &c. non est, Baptismum posse dumtaxat dari ab eo, qui suscepit: sed omnino contrarios, hic scilicet: quod ex quo, id est, indiscriminatim ab omnibus accipitur, ita ex aquo, id est, indiscriminatim ab omnibus in necessitate dari potest: addit enim ibidem Tertull. Aequè Dei census ab omnibus exerceri potest.

Inst. 3. SS. Patres, qui contra Cyprianum, & Donatistas decertarunt, probant Hæreticos validè baptizare; quia, cum Baptismum, quem acceperunt, non amiserint, etiam jus illum conferendi non amiserunt: sic inter alios arguit Aug. l. 1. de Bapt. c. 1. ergo supponunt, eos posse tantum baptizare, qui sunt baptizati. R. Patres arguere contra rebaptizantes ex eorum principio, quod tamèn non admittebant. Vulgatum erat apud rebaptizantes principium, nemo dat, quod non habet: subsumeant: atqui Hæretici non habent Baptismum: ergo non conferunt illum. Patres, dato gratis hoc principio, subsumeant e contra; atqui Hæretici non amiserunt Baptismum, quem acceperunt in Ecclesia: ergo nec jus illum conferendi.

Inst. 4. Hieron. contra Lucifer. dicit: Novam rem asseris, ut Christianus quisquam factus sit ab eo, qui non fuit Christianus: ergo. R. Hieronymum illic intelligere Christianum, non qui est baptizatus, sed qui habet fidem Christianam, scilicet veram, & Catholicam: subtingit enim immediatè: Accedens ad Arianos, in qua fide Baptizatus est? scilicet in fide Ariatorum. Vult ergo S. Doct. probare, quòd, qui sciens bap-

tizatur ab Arianis, quibus consentit, non sit verè Christianus, id est, non habeat veram, & Christianam fidem, sed Arianam; & idèò dicit, novam rem asseris, &c.

Inst. 5. Saltem negari non potest, quin Aug. libr. 7. de Bapt. c. 53. dubitaverit de valore Baptismi a Pagano collati: ergo. R. Aug. pro sua modestia nihil hæc de re affirmare voluisse; quia, ut ipse dicit, nondum erat in Ecclesia definita. Addit tamèn ibidè, se esse sic affectum, ut non dubitaret, eos habere Baptismum, qui ubicumque, & a quibuscumque illum verbis Evangelicis consecratum sine sua simulatione, & eum aliqua fide suscepissent.

Urgebis tamèn celebre dictum rebaptizantium: Nemo dat, quod non habet; atqui Paganus non habet Baptismum: ergo. R. D. Maj. (Hic q. 64. art. 3. ad 1.) Nemo dat, quod non habet, neque actu, neque virtute, C. quod non habet actu, habet tamèn virtute, N. Quilibet autèm homo habet Baptismum virtute, quatenus Deus potest illo uti ut Instrumento ad efficiendum Sacramentum.

Obj. 3. Contra Bapt. datum a mulieribus. Tertull. Epiph. Chrysost. redarguunt petulantiam mulierum, quæ usurpabant Ministerium baptizandi: & Conc. Carthag. 4. ann. 398. Can. 100. sic decernit: Mulier baptizare non præsumat. Gratianus equidè addit, nisi necessitate cogente, sed gratis; id enim non legitur in textu Conc. ut constat ex Collect. Labbei Tom. 2. pag. 1207. ergo. R. (Hic q. 67. art. 4. ad 1.) in his omnibus testimoniis sermonem esse de Baptismo solemniter, ut ex eorum lectione patet, a quo excluduntur mulieres, quibus tamèn quidam Hæretici, ut dixi in prænotationibus, facultatem illum conferendi concedebant. Quantum ad Canonem Conc. Carthag. verum est, additionem Gratiani in eo Canone non reperiri, sed colligitur ex præcedente 99. in quo dicitur: Mulier quamvis docta in conventu docere non præsumat. In sequenti ergo Canone pariter intelligi debet: In conventu mulier baptizare non præsumat, id est, solemniter, & sine necessitate; quia in conventu, seu in Ecclesia baptizatur solemniter, & adsumt Sacerdotes, & viri, qui baptizare possunt; sique non est necessitas compellens mulierem ad baptizandum.

Obj. ultimò. Conc. Flor. assignans Laicum, Paganum, Mulierem pro Ministro Baptismi, exprimit casum necessitatis ergo supponit, extra casum necessitatis præfatos non esse Ministros. Item absolutio a quolibet Sacerdote collata in casu necessitatis est valida; extra casum necessitatis est invalida: ergo similiter Baptismus. R. ad 1. nos pluribus aliis auctoritatibus, & rationibus probasse Baptisma collatum etiam extra casum necessitatis esse validum: imò & quia in necessitate est validum, etiam extra necessitatem esse validum: quia necessitas non mutat essentias rerum, ut dictum est. Quando ergo Conc. Florent. dicit, quòd in casu necessitatis quilibet homo possit baptizare, intelligit, quòd possit baptizare licitè: quia extra casum necessitatis, licet validè, non tamèn licitè baptizat. Ad 2. N. Cons. Quia, ut jam dixi ad abolitionem, cum sit per modum judicii, requiritur jurisdictio proprie dicta in subditum, quam Ecclesia cuilibet Sacerdoti non concedit, nisi in casu necessitatis: hujusmodi autèm jurisdictio non requiritur ad Baptismum, siquidam ille, qui baptizatur, sit extra Ecclesiam.

ARTICULUS III.

Leviore quædam difficultates circa Ministerium Baptismi succinctè resolvuntur.

Petes 1. Utrum, & quis ordo servandus, si plures adsint puero periclitanti baptizando? R. (Ibid. art. 4. o.) per se loquendo, mulier non debet baptizare, presente viro; Laicus, presente Clerico; Clericus minor, presente Subdiacono; Subdiaconus, presente Diacono; Diaconus, presente Sacerdote; Sacerdos alienus, presente proprio. Ratio hujus ordinis petitur ex dignitate, & jurisdictione inter personas servanda. Vir enim est caput mulieris, 1. Cor. 11. Clericus characterè insignitur præstat Laico in ordine ad munia Ecclesiastica; Clericus majori minori, præstat Diaconus inferioribus Clericis, quia Diaconus vi suæ ordinationis habet, quòd possit delegari ad baptizandum solemniter; & a fortiori Sacerdos Diacono, quia proprium Sacerdotis officium est baptizare; tandem proprius Sacerdos alieno, quia ex ordinatione Ecclesie hoc jus illi competit. Ita post Auctorem docet Cathæc. Rom. p. 2. de Bapt. num. 18. Et statuit Rit. Rom. de Ministro Bapt. his verbis: Sed si adsit Sacerdos, Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus Laico; nisi pudoris gratia deceat faminam potius, quam virum baptizare infantem, non omninò editum; vel nisi melius famina sciret formam, & modum baptizandi.

Propter hæc, & alias exceptiones dixi in Resp. per se loquendo: videtur enim, quòd etiam debeat excipi, si Sacerdos nollet nisi mediante pretio baptizare, aut cederetur in malo statu tunc;

tunc enim Diaconus, aut Clericus minor, aut etiam Laicus posset baptizare: etiam, ut videtur, posset mulier fidelis, præsente pagano, aut hæretico, propter periculum perversæ intentionis, & reverentiam Sacramenti.

An autem posset obsecratrix, aut alter Laicus, præsente Sacerdote excommunicato? Arbitramur probabiliter cum Sylvestro, Navarro, Suarez, & aliis, quod posset, & deberet; quia excommunicatus cap. *Per venerabilem* §. *Sunt autem*, extra l. 4. tit. 17. traditus est Satanæ, & veluti mortuus a communione Fidelium separatur. Præferenda autem videtur mulier viro ab Ecclesia separato, quoad rem Ecclesiæ. Neque obstat, quod baptizare sine solemnitate in necessitate non sit actus Ordinis, non enim in hoc facimus vim; sed in hoc, quod sit separatus ab Ecclesia: ideoque in officio Ecclesiæ, quod per utrumque potest perfici, sit postponendus Laico in Ecclesia existenti.

Petes 2. Quale sit peccatum ordinem statutum sine causa invertitur; R. cum communiore sententia, quod prætermittitur Sacerdotem etiam consentientem sit peccatum mortale; quia Sacerdos vi suæ ordinationis est Minister ex officio, & ideò jus illius ortum ex potestate Ordinis læditur in re gravi: nec potest Sacerdos huic juri renuntiare sine injuria Ordinis, & Sacramenti. Idem multi probabiliter existimant, si prætermittatur Diaconus; quia Diaconus, ut dictum est, vi Ordinis potest ex commissione conferre Baptismum etiam solemniter, ex quo acquiritur ipsi jus speciale, licet incompletum, & mediatum ad Baptismi collationem: unde videtur gravis injuria illi Ordini, & Sacramento illata, si istud jus ab alio usurpetur. Neque tamén improbiem censeo sententiam aliorum, qui volunt, quod violatio juris remoti, & indirecti non sit tam gravis, ut constituat peccatum mortale; quod non debet asseri sine gravi fundamento. Probabilis est autem, quod, si prætermittatur Subdiaconus, a fortiori Clericus minor, aut vir Laicus, non sit nisi peccatum veniale: cum enim nulli horum competat etiam remote, & indirecte baptizare ex officio, nec ideò ullus sit proprius Baptismi Minister, nullius jus videtur violari, saltem graviter; nec nisi levis irreverentia Sacramenti.

Petes 3. Utrum aliquis possit baptizare seipsum? R. negativè: 1. (*Hic q. 66. art. 5. ad 4.*) Quia dicendo *baptizo me*, mutaretur essentialiter forma. 2. Quia Baptismus est quædam regeneratio spiritalis; sicut ergo nemo potest generare seipsum, ita nec seipsum baptizare. 3. Quia esset contra institutionem Christi, qui Ministerium, & subjectum Baptismi aperte distinguit, dum dixit: *Baptizantes eos*: unde ipse voluit baptizari a Joanne. Et ita definitur Innoc. III. cap. *Debitum*, Extra l. 3. tit. 42. Neque obstat, quod quis etiam Laicus possit se communicare, ut olim factum legitur apud Cyrillum Jeros. Catech. 5. Aliud enim nutriti, aliud gigni: potest quisquis seipsum nutrire, non potest seipsum gignere.

Petes 4. Utrum plures validè possint simul unum baptizare? Pono validè licite enim non posse, certum est; cum hoc sit contra morem Ecclesiæ, & institutionem Christi, qui, cum sit unus, voluit per unum ministrari Sacramentum, ut mox dicam. R. unum posse a pluribus baptizari triplici modo; & secundum diversum modum quandoque Baptismus esse ratum, quandoque irritum. Igitur 1. (*Hic q. 67. art. 6. o.*) Vel plures simul effundunt aquam, & dicunt, *nos te baptizamus*, intelligendo *baptizamus* conjunctim, ita ut concurrant tamquam causæ partiales ab invicem dependentes; sicut, si plures trahentes navium dicerent, *trahimus navim*. Hoc modo non valet Baptismus, quia videtur esse contra rationem ministerii; homo enim non baptizat nisi ut Minister Christi: unde, sicut Christus est unus, ita oportet esse unum Ministrum, qui Christum repræsenteret, & sua actione totali, ut patet ex usu Ecclesiæ, tamquam Minister integer faciat totum, quod significant verba formæ, *Ego te baptizo*. Et ideò intentio contraria videtur excludere Baptismi Sacramentum. Si tamén intelligerent *te baptizamus* divisim, ita ut singuli intenderent baptizare totaliter, & independentè ab invicem, valeret Baptismus; quia tunc adesset materia, forma, & intentio, perinde ac si unusquisque diceret, *Ego te baptizo*, sicut in modo sequenti. Undè

2. (*Ib. ad 3. & q. 66. art. 5. ad 4.*) Vel singuli effundentes aquam dicunt, *Ego te baptizo*, tamquam causæ totales, & ab invicem independentes; quod potest contingere in casu, quo singuli contentiosè aliquem baptizare conarentur: hoc modo valet Baptismus, quia singuli expriment suam intentionem, & quasi singulariter Baptismum conferunt: sic tamén, ut qui prius verba proferret, darat Sacramentum, alius verò nihil faceret; & sic si verba pronuntiare præsumeret, esset puniendus tamquam rebaptizator. Si autem omninò simul aquam effunderent, & verba proferrent, essent puniendi de inordinato modo baptizandi, sed non de iteratione Baptismi; quia singuli intenderent non baptizatum baptizare, & uterque quantum in se est baptizaret: nec traderent aliud, & aliud Sacramentum: sed Christus, qui est unus interius baptizans, unum Sacramentum per utrumque conferret.

Neque repugnat, quòd unus effectus procedat ab una causa principali per plura instrumenta, præsertim quando effectus est supernaturalis, ut in casu. Aliudè formæ, & materię hic multiplicatur materialiter tantum, & in esse naturæ, non formaliter, & in ratione formæ, & materię Sacramenti; quia ab agente principali, qui est Christus, diriguntur ad unum, & recipiuntur in uno subjecto, quod non est capax nisi unius Baptismi. Undè, quando Auctor supra q. 66. art. 5. ad 4. dicit, quòd *actus multiplicatur secundum multiplicationem agentium, si perfectè ab unoquoque agatur*, intelligendus est non de agentibus virtute alterius, sed de agentibus virtute propria; & ideò dicimus, ablationes multiplicari in esse naturæ.

3. (*Ib. ad 3. & q. 66. art. 5. ad 4.*) Vel tandem sic plures baptizant, ut unus effundat aquam, & alter formam proferat, ut si unus esset mutus, & alter brachiis truncatus: hoc modo non valet; quia integritas Baptismi consistit in forma verborum, & in usu materię: & ideò neque qui tantum aquam effundit, baptizat, quia non proferat formam; neque ille, qui tantum verba proferat, quia non applicat materiam, & falsa est forma, dum dicit, *Ego te baptizo*, cum ipse non abluat, nec consequenter baptizet. Neque etiam dici potest, *Nos te baptizamus*, cum neuter baptizet. Neque potest adhiberi forma Græcorum, *Baptizatur servus Christi*, quia subintelligitur a me, seu meo actu.

Petes 5. Utrum non urgente necessitate liceat baptizare extra Ecclesiam, in qua sunt Fontes baptismales? R. cum Navarro in Man. c. 22. n. 7. & pluribus aliis negativè, nisi agatur de Filiis Regum, aut Principum. Ità statuit Conc. Vien. sub Clemente V. ann. 1317. & refertur Clementina Præsenti l. 3. tit. 15. his verbis: *Præsenti prohibemus Edicto, ne quis de cetero in aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus, sed dumtaxat in Ecclesiis, in quibus sunt ad hoc Fontes specialiter deputati, aliquis nisi Regum, vel Principum, quibus valet in hoc casu deferri, liberi exiterint; aut talis necessitas emergerit, propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo propter hoc accessus haberi, audeat baptizare: qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quòd alii attentare similia non præsumunt. Idem jam prohibuerat Conc. Meldense ann. 845. c. 48. Undè Rituale Pii V. sic habet: *Itaque, necessitate excepta, in privatis locis nemo baptizari debet, nisi forte sint Regum, aut magnorum Principum filii, id ipsis ita de parentibus: dummodò id fiat in eorum Capellis, seu Oratoriis, & in aqua baptismali de more benedicta.**

Hinc graviter sunt culpandi Parochi, qui honoris causa, vel alio simili motivo humano, nobilitum infantes baptizant domi, etiamsi in Sacello domestico, aut qui, ut expectent Patrinium absentem, baptizant privatim, seu ut communiter dicitur, assurant domi infantem, suppleturi post adventum Patrinii ritum solemnitatem in Ecclesia.

## ARTICULUS IV.

De Susceptoribus baptizandorum, seu Patrinis, per varias Questiones.

Quamvis hæc materia propriè pertinet ad cæremonias Baptismi, de illa tamén hic agit Auctor; quia Patrinus esse debet ad instar Ministri in Baptismo solemniter.

Petes 1. Utrum in Baptismo solemniter requiratur Susceptor, seu Patrinus? R. affirmativè. (*Hic q. 67. art. 7. o.*) Prob. ex Dionys. c. 2. cælest. Hierarch. ubi dicit, quòd *Sacerdotes assumunt baptismatum, tradunt eum ad educationem susceptoris, & duci*. Ex Tertull. l. de Bapt. ubi Susceptores vocat *Sponsos*. Ex S. Basil. Ep. 128. ex S. Chrysost. Hom. 72. in c. 4. 1. Cor. Ex Aug. serm. 116. de Temp. Ex usu Ecclesiæ, ubique recepto, & vetustissimo, cujus post Apostolorum tempora institutio non invenitur, & quem ideò constat esse Traditionis Apostolicæ, ut expressè affirmat idem Dionys. c. 7. ibid. Undè esset peccatum mort. baptizare solemniter sine Susceptore.

Ratio hujus institutionis congrua est; (*Ib.*) quia spiritalis generatio, quæ fit per Baptismum, assimilatur quodammodo generationi carnali. Undè dicitur. 1. Petri 2. *Sicut modo geniti infantes*, &c. atqui in generatione carnali infans recentè natus indiget nutrice, & pædagogò: ergo, & in spiritali generatione requiritur aliquis, qui fungatur vice nutricis, & pædagogò, informando baptismatum quasi novitum de his, quæ pertinent ad fidem, & vitam Christianam, ad quod Prælati vacare non possunt, circa communem populi curam occupati; parvuli enim, & novitii indigent speciali cura præter communem.

Dixi: in Baptismo solemniter; quia, ut jam dictum est, Susceptor pertinet ad solemnitatem, & non necessitatem, Sacramenti: neque Jura loquuntur, aut intelliguntur nisi de Bap-

tis-

tismo solemniter. Et ratio est; quia in Baptismo privato propter necessitatem collato, si puer statim moriatur, non indiget Susceptore; si supervivat, designabitur susceptor, dum solemnitates adhibebuntur.

Utrum, si nihilominus adhibeatur Patrinus in Baptismo privato, sit verè Patrinus, & contrahat cognitionem spirituales? Affirmant plures; negant alii, &, ut videtur, probabiliter; quia institutio Patrinii est ex præscripto Apost. seu Ecclesiæ; Ecclesiæ autem de Baptismo privato nihil ordinavit quoad Patrinus. Sed de hoc latius, dum de imped. matrin.

Petes 2. Ad quid teneantur Patrinii, & Matrinx? R. (*Ibid. art. 8. o.*) Eos teneri sub gravi peccato susceptos imbuiere fide, religione, & moribus; quia hoc pertinet ad officium pædagogò, quòd susceperunt. Et ità statuitur Cap. *Vos autè* de Cons. d. 4. ex Aug. Hæc autem obligatio maximè urget eo tempore, loco, in quo baptizati inter Infideles, & Hæreticos nutriuntur; quia, si nutriuntur inter Christianos Catholicos, possunt Patrinii ab hac cura eximi, presumendo quòd a suis Parentibus diligenter instruantur. Si tamén quocumque modo cognoscere contraherent, tenerentur secundum modum salutis spiritualium filiorum curam impendere. Insupèr contrahunt cognitionem spirituales cum baptizato, & ejus patre, & matre. De qua alibi. Vide Catech. Rom. p. 2. de Bapt. n. 22.

Petes 3. Quæ conditiones requirantur, ut quis sit Patrinus? R. 1. Debet habere animum munus Patrinii suscipiendi; si enim ex ignorantia, aut ex necessitate, v. gr. ut cadentis succurrat, infans, dum baptizatur, tangere; aut licet designatus non habeat intentionem suscipiendi id munus, non esset verè Patrinus; quia actus agentium non operantur ultra eorum intentionem. 2. Debet esse designatus a parentibus, aut in eorum defectu a Parocho; ità ut, qui se ingerent non designati, non essent Patrinii. Ità statuit Conc. Trid. Sess. 24. de Ref. Mar. c. 2. 3. Probabiliter debet tangere baptismatum, non quidem necessario immediate, sed mediatis, vel vestibus, vel linteo, vel disco, ut probabiliter, & de imped. matr. ubi ista fusiùs discutuntur ratione cognitionis spiritualis, quam contrahit verus Patrinus.

Sed quid de illo, qui, post Baptismum domi validè collatum, adhibetur Patrinus, dum suppletur cæremonia in Ecclesia? Tenetur quidem ad officium Patrinii quoad instructio-

nem, cum illud spontè subeat; non tamen contrahit cognitionem spirituales: quia, ut dicit Auctor, (*Suppl. q. 56. art. 2. spiritalis cognatio non contrahitur, nisi per aliud Sacramentum.*)

Petes 4. Quando quis suscipit infantem per procuratorem, quis sit Patrinus, an ipse committens, vel commissarius? R. Quòd sit committens; quia ipse est designatus, & se offert, suscipitque infantem per alium vices ejus gerentem: quòd autem facit quis per alium, censetur facere per seipsum.

Petes 5. Utrum possint esse plures susceptores ejusdem infantis? R. Trid. Sess. 24. cit. 4. Statuit, ut unus tantum vir, sive mulier, juxta sacrorum canonum instituta vel ad summum unus, & una baptizatum de Baptismo suscipiant.

Petes 6. Utrum omnes indiscriminatim possint admitti ad hoc munus. R. Nullus debet admitti, qui non sit idoneus ad suum officium implendum, filiolum doctrina Fidei, & Christianis moribus informando, patet ex se. Hinc excludendi sunt 1. Infideles, Hæretici, Excommunicati, Interdicti, Criminosi, Infames, mente capti. Ità Rit. Rom. 2. Qui nesciunt saltem Symbolum Fidei, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam. Ità secunda Synodus Mediolan. Decreto 1. sub S. Carol. Borr. 3. Impuberes, & non confirmati, juxta idem Rit. Rom. Usus tamén invaluit saltem in his partibus, ut si impuberes judicio Parochi sint sufficientè instructi, etiamsi non confirmati, admittantur.

Petes 7. Utrum Regulares possint esse Patrinii? R. negativè. Id enim eis prohibetur cap. *Non licet* 130. de Consecr. d. 4. his verbis: *Non licet Abbati, vel Monacho de Baptismo suscipere filios, nec commatres habere*. Et in Rit. Rom. *Ad hoc munus admitti non debent Monachi, vel Sanctimonialia, neque alii cujuscumque Ordinis Regulares a sæculo segregati*. Exciipiuntur autem juxta Glossam in Cap. *Statutum* Causa 18. q. 1. Regulares facti Episcopi, & ex usu contrario Abbates saltem in certis locis.

Petes 8. Utrum Parentes possint suscipere propriam prolem? R. Id graviter eis prohiberi Cap. *Perenit* in eod. causa 30. q. 1. Ratio est; quia adhibentur Patrinii, ut in defectu parentum curent instructionem infantis: ergo ipsi parentes non possunt esse Patrinii. Adde, quòd suscipiens contraheret cognitionem spirituales cum sua prole.

Confert, quæ dicam de cognitione spiritali in Tract. de Matrin.

## DISSERTATIO III.

## DE SUSCIPIENTIBUS BAPTISMUM.

## D. Thom. Quest. 68.

## ARTICULUS I.

Utrum Baptismus sit omnibus necessarius ad salutem?

Præter Manichæos, Paulicianos, Selencianos, & Hermianos, qui rejecerunt Baptismum in aqua; Quintilliani, & Cajani secundo sæculo, teste Tertull. l. de Bapt. c. 1. dixerunt, Baptismum non esse ad salutem necessarium, sed fidem sufficere. Quinto sæculo Pelagiani, negantes peccatum Orig. negabant Baptismum esse necessarium ad ejus deletionem, sed, Augustino urgente illud Joann. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu S. non potest introire in Regnum Dei*, admiserunt Baptismum esse necessarium ad consequendum Regnum Cælorum, non tamén ad vitam æternam consequendam, quam a Regno Cælorum distinguebant Wiclef, Zuinglius, & Bucer dixerunt, Baptismum non esse necessarium infantibus prædestinatis Calvinus libr. 4. Insist. agnoscit, Baptismum esse necessarium ex præcepto, sed negat esse necessarium ad delendum peccatum Originale, maximè in infantibus Fidelium, quos contendit in utero matris esse sanctificatos. Sociniani, de stirpe Calvinistarum orti, præceptum Christi Matth. ult. *Enites docete*, interpretantur de doctrina, seu instructione; aut, si sit intelligendum de Baptismo, dicunt non esse præceptum universale, & perpetuum, sed pro certis personis, & ad tempus; denique Baptismum nihil aliud esse, quam exterior signum Professionis Christianæ, nihil gratiæ conferens, proinde esse ritum liberum, & indifferentem.

Gerson, Cajetanus, & quidam alii Catholici arbitrati sunt, ad salutem parvulorum sufficere eorum Baptismi a Parentibus, seu aliis conceptum: addit Cajetanus cum signo exteriori, seu benedictione sub invocatione SS. Trinitatis. Quam opinionem ut singulararem, & fidei minis consonam S. Pius V. ex Cajetani Commentariis in D. Thom. jussit expungi.

Theol. Billuart. Pars Tertia.

Dupliciter dicitur aliquid necessarium ad salutem, scilicet, necessitate mediè, & præcepti. Illud est necessarium necessitate mediè, quòd independentè ab omni præcepto ità est necessarium, ut illo sive culpabiliter, sive inculpabiliter omisso, salus haberi non possit. Necessarium necessitate præcepti dicitur, quòd præceptum est, & ideò observandum; ità ut, si voluntariè omittatur, committitur peccatum, per quòd impeditur salus. Distingimus supra triplicem Baptismum, Fluminis, Flamini, & Sanguinis. Baptismus fluminis est baptismus aquæ; Baptismus flaminis est perfecta contritio cum voto Baptismi, & dicitur Baptismus in voto; Baptismus sanguinis est martyrium. His prænotatis.

Dico 1. (*Hic q. 68. art. 1. & 2.*) Extrà casum martyrii Baptismus aquæ est omnibus necessarius ad salutem, adultis in re, vel in voto; infantibus in re. Prob. 1. (*Ib. in arg. 3. c.*) Ex lege generali a Christo lata Joann. 3. *Nisi quis renatus, &c.* Hunc textum a falsis interpretationibus Calvinistarum, qui illum ad sensum metaphoricum detorquent, vindicavimus Dissert. 1. art. 3. §. 1. Intelligendum autem esse de Baptismo in re, vel in voto pro adultis, probavimus ibid. art. 6. §. 1. Pro infantibus verò, qui voti sunt incapaces, patet esse intelligendum de Baptismo in re.

Prob. 2. (*Ib. o.*) Argumento deducto ex Scripturis. Nemo potest salvari nisi per Christum, sic ut illi incorporaretur, & fiat ejus membrum; atqui homo per Baptismum Christo incorporatur, & fit ejus membrum, juxta illud Galat. 3. *Quicumque in Christo baptizati estis, Christum induistis*. Et 1. Cor. 12. *In uno Spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus*: ergo. Si dicas, hominem Christo incorporari per fidem, juxta illud Ephes. 3. *Christum habitare per fidem in cordibus vestris*. R. (*Ib. ad 1.*) Christum habitare quidem in nobis per fidem, sed signo visibili Baptismi exhibitam, & assertam. Voluit enim Deus, quòd omni tempore fidem nostram in ipsam per aliquod

Mm

sig-